



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Conscientia Probabilis, & tuta

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

su ubi non satis constat vel de lege prohibente, vel saltem sub gravi culpa, libertas in possessione sit. Quod etiam nonnulli extendunt ad casum; quo *positivè* dubium est, utrum legi satis jam factum sit, utrum non fuerit abrogata. Alii contra in favorem legis pronunciant, tutioremque partem eligendam esse contendunt, occinentes illud, quod habetur in *cap. 3. de Sponsal.* *In his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.* Cui autem parti assentiri fas sit; ex dicendis colliges.

§. III.

De Conscientia probabilis.

99. **O**pinio est assensus præstitus uni contradictionis parti non sine formidine saltem radicali de opposito. *Probabilis* ea est opinio, quæ solidis nixa rationibus, classicisque munita patronis, nulli certo principio, nullique certæ vel conventioni, vel legi, vel censuræ publicæ adversatur. Patet hinc, duplicem esse probabilitatem, *intrinsecam*, quam momentariorum pariunt; & *extrinsecam*, quam alicui sententiæ conciliant Autores, qui eisdem patrocinantur. Quæ tamen eatenus duntaxat movet, quatenus præsumptio stat pro viris doctis, quòd hanc suam opinionem sine gravi ratione non sustinuerint. Potest autem motivum opinionis esse grave vel *absolutè* tantum, & secundum se; vel vel etiam *comparativè*, quando sc. cum rationibus etiam oppositæ sententiæ comparatum, adhuc vim suam retinet; quod tunc maximè fieri potest, si rationes utrimque oppositæ sint disparatæ. *Opinio magis probabilis, aut probabilior est, quæ rationi majoris*

joris momenti innititur, ac opposita. Quæ minoris momenti ratione nititur, *minus probabilis* est. *Aequè probabiles* sunt duæ opiniones, quæ rationibus æqualibus nituntur: *Opinio tenuiter probabilis* dicitur, quæ nititur motivo absolutè levi, quo vir prudens, spectatis omnibus, ad assensum induci nequit. Tandem *unicè probabilis* est opinio, quæ una nititur motivo gravi, ita ut pro parte opposita nulla stet gravis ratio. *Securitas* opinionis sita est in remotione à periculo peccandi: unde *magis tuta* est, quæ operantem magis removet à periculo peccandi, etiam materialiter; *minùs tuta* autem, quæ non ita removet istud periculum, sed magis ad illud videtur accedere. V. g. inter duas sententias oppositas, quarum altera negat licere die festo pingere, altera adfirmat; prior est tutior, quia qui non pingit in die festo, certò non peccat. Hinc generatim opiniones illæ habentur *tutiores*, quæ favent legi contra libertatem; *minùs tutæ* autem, quæ pro libertate stant contra legem. Porro *securitas*, & *probabilitas* opinionum confundi non debent: nam securitas petitur ex remotione periculi peccandi: probabilitas autem ex apparentia veritatis. Quocirca dari potest opinio tutior, quæ sit minus probabilis; & opinio probabilior, quæ sit minùs tuta. Sic opinio docens hominem statim à lapsu teneri ad pœnitentiam, tutior est, at minùs probabilis; opposita verò est minùs tuta, sed probabilior.

α) Aliud est propositionem esse *veram*, & aliud, esse *probabilem*: nam veritas & falsitas sunt proprietates propositionis, non item probabilitas; hæc enim præcisè nascitur ex motivo gravi: unde fieri potest, ut verè probabilis sit propositio secundum se falsa juxta illud: *falsa non raro sunt probabiliora veris*. Itaque probabilis dicitur pro-

posi-

positio non quia vera est, sed quia illius veritas ex motivo gravi nobis apparet: ut adeo probabilitas propositionis sit talis non absolutè, sed relatè ad nostram conscientiam, vel potius relatè ad motivum, quo nititur. Proinde propositio verè nunc probabilis, fieri improbabilis potest, vel quia novæ rationes occurrunt ejusmodi, quæ prioribus oppositæ illas prorsus enervant; vel etiam ex nova definitione Ecclesiæ; vel quoniam fallacia antea latens detegitur. Ex adverso opinio antea improbabilis veram probabilitatem consequi potest, veluti cum nova occurrit ratio gravis & solida, quæ ab oppositis elidi non possit. Sequitur ex dictis: quamvis nemo judicare queat, utramque opinionem ex contradictoriis simul esse veram, alioquin idem simul esset, & non esset; posse tamen virum prudentem judicare, utramque simul esse probabilem, non ex iisdem, sed ex diversis motivis, quibus earum qualibet innititur. Idque obtinet non modò respectu diversorum hominum, ut per se patet; sed etiam respectu ejusdem intellectus; Quoties enim viri doctissimi, cum unam sententiam ceu probabiliorem amplectuntur, alteram esse verè probabilem fatentur?

β) De Ortu & progressu Probabilismi multi etiam ex RR. multa disputant, pluresque paginas implent, non tam (quantum opinari fas est) ut AA commodo studeant, quàm ut antiqua semper Scholæ dissidia foveant. Cur omnes adversus Hæreses, & novas impietates non armanur? cur quod manu altera ædificamus, destruimus altera? verbo tandem & exemplo nostro palam fiat, Doctrinæ Evangelicæ veros nos esse sectatores ac prædicatores.

100. Dictamen ultimum certum. Cum fat multa hic in disputationem veniant, certa ab incertis & dubiis separanda sunt. Itaque I. Communissima TT. est, quòd ad honestatem actionis dictamen ultimum saltem moraliter certum requiratur, vi cujus homo judicat citra formidinem de opposito, actionem suam, pensatis omnibus, divinæ legi consentaneam, adeoque licitam & honestam esse. Qui enim agit cum dubio practico de honestate,